
Decisiones del Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica

Prot. N. 45816/11 CA
Suppressionis paroeciae

DECRETUM

1 Anno 1849 paroecia territorialis S. Antonii Patavini erecta est in parte septentrionali orientali cuiusdam urbis. Anno 1858 paroecia personalis S. Bonifatii pro Germanis ibi erecta est, anno 1886 paroecia personalis S. Crucis pro Polonis, anno 1891 paroecia personalis SS. Cyrilli et Methodii pro Slovachis, anno 1902 paroecia territorialis S. Clementis, anno 1914 paroecia personalis S. Hedvigis pro Polonis, et tandem anno 1916 paroecia personalis Omnium Sanctorum etiam pro Polonis. Annis recentioribus utraque paroecia territorialis, S. Antonii Patavini nempe et S. Clementis, necnon paroecia personalis S. Crucis eundem sacerdotem tamquam parochum habebant.

Anno 2009, Exc.mus Episcopus initium dedit processui investigationis et consultationis circa structuram paroeciarum in dioecesi, attentis circumstantiis demographicis mutatis necnon numero decrescenti sacerdotum in dioecesi. Primum constituit coetum “Strategic Planning Task Force”, qui, post iter consultationum varia proposita paravit. Die 22 iunii 2010, coetus sua proposita cum Exc.mo Episcopo et Consilio presbyterali communicavit. Quoad septem paroecias de quibus supra, propositum est ut unirentur quinque paroeciae personales ita ut haberetur una paroecia personalis S. Crucis pro Polonis, Slovachis et Germanis in illa regione. Attamen in sessione Consilii presbyteralis die 7 septembris 2010 habita, propositum non omnibus membris placuit.

Animadversionibus membrorum Consilii perpensis, nova ratio paroeciarum parata est. Inter alia proposita est unio ambarum paroeciarum territorialium, S. Antonii Patavini et S. Clementis, et paroeciarum personalium pro Polonis, S. Crucis et S. Hedvigis, ita ut efformaretur paroecia territoriali cum cura pastorali Polonorum, cuius nomen esset S. Crucis. In sessione Consilii presbyteralis die 21 septembris 2010 habita hoc novum propositum omnibus praesentibus placuit.

2. Quibus praehabitis, Exc.mus Episcopus die 14 octobris 2010 decretum unionis tulit, statuens decretum effectum habiturum esse a die 1 ianuarii 2012. Nonnulla vero membra paroeciae S. Crucis die 24 octobris 2010 revocationem decreti petierunt. Attentis argumentis ab ipsis propositis, Exc.mus Episcopus die 15 novembris 2010 decretum emendatum tulit, statuens paroeciam unitam S. Crucis comprehensuram esse etiam quemvis catholicum Polonicum qui sese eidem adscribere vellet. Decevit insuper S. Missam in lingua Polonica celebrandam esse in paroecia unita atque omnes quattuor ecclesias pro cultu divino celebrando apertas mansuras esse, saltem donec aliter ad normam iuris et iuxta petita paroeciae unitae statueretur. Decevit insuper unionem paroeciarum in effectum deducendam esse intra diem 1 iulii 2013. Aliqui paroeciani S. Crucis die 24 novembris 2010 emendationem vel revocationem etiam novi decreti petierunt, praesertim ut eorum paroecia personalis intacta maneret. Litteris circularibus paroecianis die 27 decembris 2010 datis, Exc.mus Episcopus propriam decisionem confirmavit, salvo iure recurrenti ad Congregationem pro Clericis, et christifideles certiores fecit non tantum celebrationem Liturgiae Sacrae in lingua Polonica permansuram esse sed etiam “events and activities of

the Polish community, such as the Polish Saturday School”.

3. Instantia diei 6 ianuarii 2011, d.nae N. et M. provocaverunt ad Congregationem pro Clericis, petentes emendationem decreti ita ut earum paroecia S. Crucis maneret “a separate parish”. Congregatio dein omnes notitias utiles exquisivit ab Exc.mo Episcopo, quae tandem die 7 iunii 2011 transmissa sunt. Quibus receptis et perpensis, Congregatio die 30 iulii 2011 decretum edidit, declarans recursum adversus unionem exstinctivam paroeciae S. Crucis fundamento in iure et in facto carere ideoque reici.

4. Quam adversus decisionem, die 24 augusti 2011 d.na N. recurrit ad H.S.T. Actis petitis iisdem receptis, ulterioribus explicationibus ab Exc.mo Episcopo datis, audito insuper Rev.mo Promotore Iustitiae deputato, Exc.mus H.S.T. Secretarius decreto diei 22 octobris 2011 recursum in limine reiecit, utpote indubie et evidenter fundamento carentem.

Quod contra decretum, d.na N. ad Congressum H.S.T. provocavit. Re dein rite discussa inter Cl.mos partium Patronos et Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum,

**SUPREMUM
SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL**

5. Praemisso quod, ad normam art. 123, § 1 Const. Ap. *Pastor bonus*, huius Supremi Tribunalis est cognoscere de recursibus adversus actus administrativos singulares sive a Dicasteriis Curiae Romanae latos sive ab ipsis probatos, quoties contendatur num actus impugnatus legem aliquam in decernendo vel in procedendo violaverit;

6. Perspecto quoad unionem extinctivam paroeciarum, quod:

- Ad normam can. 515, § 2 unius Episcopi dioecesanum est paroecias supprimere (cf. CD 32), qui eas ne supprimat, nisi audito Consilio presbyterali; antequam decretum suppressionis ferat, Episcopus necessarias notitias et probationes exquirat, atque, quantum fieri potest, eos audiat quorum iura laedi possint (cf. can. 50); quae iura acquisita haberi possunt v.g. ex actu foundationis vel contractus, sed probanda sunt; decretum suppressionis feratur, denique, saltem summarie expressis motivis (cf. can. 51); qua in re, “Episcopus dioecesanus ... iuxta suam prudentem discretionem procedere potest, exclusa vero arbitrariedade” (decreta Congressus diei 3 maii 2002, prot. nn. 33219/01 CA; 32220/01 CA); sufficit proinde iusta causa; qua in ratione perpendenda, non solum condicio paroec-

ciae consideranda est, verum etiam totius dioecesis, ut totius dioecesis saluti animarum et quidem etiam in futuro, meliore quo fieri potest modo, provideatur; nullum tamen “ius christifidelibus agnoscitur ad determinatam paroeciam, cum illis sufficiat paroecia quaedam, quae eorundem curam pastorem expleat” (cf., v.g., decreta Congressus dierum 12 octobris 1995, prot. n. 25323/94 CA; 18 ianuarii 1996, prot. n. 25465/94 CA; 12 octobris 1995, prot. n. 25530/95 CA; 22 maii 2009, prot. n. 39525/07 CA);

- “In specie ad suppressionem paroeciae personalis quod attinet, agnoscendum est migratorum ius servandi patrimonium spirituale, immo ubi id expediat constituentur pro eis paroeciae personales (cf., inter alia, can. 518 et art. 6 Instr. *Erga migrantes caritas Christi*). Sed sedulo animadvertendum est istud ius migratorum vinculatum non esse cum quadam determinata paroecia personali, quae est una tantum ex pluribus comprobatis rationibus et viis in pastoralis cura agenda pro coetibus specialibus fidelium (cf. v.g. decreta Congressus dierum 25 ianuarii 1991, prot. n. 21896/90 CA; 3 maii 1995, prot. n. 24388/93 CA; 26 ianuarii 1996, prot. n. 26205/95 CA; 18 iulii 1996, prot. n. 26399/95 CA). Mutata autem rei condicione, Episcopus dioecesanus, iuxta iurisprudentiam H.S.T., iusta ex causa etiam eiusmodi paroeciam suppri-

mere potest et alio modo migratorum curae pastorali providere” (cf. Dec. def. H.S.T. diei 7 maii 2010, prot. n. 39162/06 CA);

- Paroecia personalis uniri potest etiam cum paroecia territoriali, nam “Turi vero canonico haud alienum est paroeciae territoriali adnectere curam pastorem migratorum etiam extra eius territorium sed intra eandem dioecesim degentium (cf. Instr. *Erga migrantes caritas Christi*, nn. 91-92, et artt. 6-7)” (cf. decreta H.S.T. dierum 20 februarii 2009, prot. n. 42125/09 CA; 28 martii 2011, prot. n. 44426/10 CA);

7. Attento quod in casu non agitur de mera suppressione paroeciae personalis S. Crucis sed potius de eius unione cum aliis, quodque:

- Paroecia unita nomen S. Crucis sumet;

- Etsi decretum Exc.mi Episcopi miro modo insinuare videbatur ecclesiam S. Crucis in futuro claudi vel etiam alienari posse, de facto sedes paroeciae unitae S. Crucis erit apud ecclesiam S. Crucis, quae, iuxta litteras Exc.mi Episcopi diei 13 augusti 2011, “will be the parochial church of the merged parish”;

- Paroecia unita S. Crucis erit paroecia personalis pro Polonis pro quibus permanebunt actiones liturgicae et activitates pastorales illis propriae quae nunc habentur;

8. Quoad assertam violationem legis in procedendo, eo quod consultatio Consilii presbyteralis diei 21 septembris 2010 vacua fuisset auditio circa decisionem iam factam, attento quod:

- Cl.mus Patronus recurrentis, qui exemplar statutorum Consilii presbyteralis et relationum Consilii sessionum diebus 7 et 21 septembris 2010 habitarum obtinere frustra conatus est, censet defectum documentorum saltem indicium constituere suspectae absentiae verae consultationis a lege requisitae;

- Attamen, nulla probatio assertae violationis legis ex dictis documentis haberi posset, nam ex actis coram H.S.T. exstantibus constat de vera auditione facta, eo quod Exc.mus Episcopus, prae oculis habitis animadversionibus de re in sessione Consilii diei 7 septembris 2010 prius factis, propositum emendaverat antequam rem Consilio die 21 septembris 2010 iterum praesentavit, et ipsum Consilium approbavit decisionem iuxta propriam mentem ferendam;

9. Quoad assertam violationem legis in procedendo, eo quod Exc.mus Episcopus illegitime Consilium presbyterale audire neglexisset antequam decretum emendatum die 15 novembris 2010 tulit, penso quod:

- Ex actis constat Exc.mum Episcopum Consilium presbyterale circa pro-

positam unionem quattuor paroeciarum die 21 septembris 2010 audivisse, antequam decretum unionis die 14 octobris 2010 tulerit;

- Ex comparitione duorum decretorum constat decretum emendatum, etsi casum fusius exposuit et aliquas difficultates a paroecianis citatas solvit, utcumque statuisset eandem unionem paroeciarum circa quam Exc.mus Episcopus Consilium presbyterale die 21 septembris 2010 iam audiverat;

- Patet ergo servatum esse in casu praescriptum can. 515, § 2;

10. Quoad alia asserta vitia a Cl.mo Patrono citata, scilicet assertam violationem iurium fidelium de quibus in cann. 212, § 3 et 1267, § 3; assertam deviationem potestatis; et assertam laesionem s.d. “interessi collettivi” fidelium; animadverso quod, haud obstantibus plurimis argumentis in iure ex doctrina sumptis, deficiunt necessaria argumenta in facto ex actis deducta;

11. Cum in casu, ergo, nullum par adducatur argumentum ad rationes motivas in decreto Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 22 octobris 2011 submovendas;

Praetermissis aliis forte animadvertendis;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu die 27 martii 2012 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Confirmandum esse et facto confirmari decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 22 octobris 2011, quo recursus reiciebatur ob evidentem et indubium defectum fundamenti.

Pro expensis retinetur cautio a partibus recurrentibus in arca H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Cl.mo Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 martii 2012

Raimundus Leo Card. BURKE,
Praefectus

+ Franciscus DANEELS, o.praem.,
Secretarius